













DISSERTATIO INNOVATIONIS

INNOVATIONIS  
M. TRIMONII

IN IO. SAMUELE STRYKIO, IC.

IOANNE...







DISSERTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS

De

**CONCVRSV  
IVRAMENTORVM,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, AC DUCATUS MAGDEB. GUBER-  
NATORE, &c.

*EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORYM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE*

**DN. IO. SAMVELE STRYKIO, IC.**  
SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENSIS  
CONSILIARIO AVLICO ET PROFESS. PVBL.  
ORD. & h. t. DECANO SPECTATISS.  
*PATRONO SVO OMNI OBSERVANTIAE CVLTV  
PROSEQVENDO,*

**PRO LICENTIA**

In vtroque IVRE legitime solemniterque obtinenda  
IN AVDITORIO MAJORI,

*d. Junii A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis  
Publico Eruditorum judicio submittit*

**IOH. CHRISTOPH. MAESIVS,**  
Hanoico-Wetter.

**HALA MAGDEB. LITTERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP.**



R 452

DEO ET PATRIAE  
SACRVM.




243.



DISSERTATIO  
 De  
**CONCURSV IVRAMEN-  
 TORVM,**  
 CAP. I.  
**DE CONCURSV IVRAMENTORVM  
 IVDICIALIVM.**

§. I.



**S**icuti varia concursus De concursu iurium in genere.  
 rerum moralium & iurium potest  
 esse ratio, ita quoque in iure di-  
 versæ & variæ de illo decisiones  
 occurrunt. Generatim dici potest,  
 concurrere inter se posse vel  
*contraria*, vel *compatibilia*. Illa

fimul subsistere non possunt, sed vnum necessario al-  
 terum tollit, fortius supprimit debilius, sicuti vbi duæ  
 præsumptiones in vno eodemque negotio concurrunt,  
 debilior a potentiori, absorbetur. Sic duæ lucratiuæ  
 causæ in vnam eandemque rem & personam non pos-  
 sunt

A 2





1244.

CAP. I. DE CONCURSV

4

sunt concurrere, vt dicitur in §. 6. *I. de legatis*, hoc effectu, vt qui legatum iam antea ex titulo lucratiuo obtinuit, non possit denuo æstimationem ex testamento petere, quoniam hæ duæ præstationes inter se sunt incompatibiles, & sic simul subsistere non possunt. In *obligationibus* quoque idem contingit, vt, quando duæ obligationes circa eandem rem in vnam personam concurrunt, debilior a fortiori superetur, vti contingit in casu, si fideiussor debitori succedat, sic hæc fideiussoria tanquam debilior eliditur. Si autem compatibilia concurrant, simul subsistunt, nec alterum ab altero tollitur, quod conspicuum est in actionibus concurrentibus *l. 60. de O. & A. §. f. I. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur* de quibus ex professo scripserant B. Brunem. de *concurso & cumulatione actionum* Gothofredus Fibigijs de *concurso actionum* aliique. Idem dicendum de *concurso creditorum*, in quo credita plurium concurrunt, vt tamen, quatenus vires patrimonii patiuntur, simul subsistere possint. Circa *legata* sæpe plures coniuncti in eadem re concurrunt, & concursu partes faciunt *l. 80. ff. de legatis 2.* & concursu etiam diuiditur *usufructus l. 3. ff. de usufr. accresc. l. 1. §. fin. de usufr.* & infinitum foret, hæc omnia congerere, sufficit, ex adductis exemplis constare, qua ratione concursus in iure se habeat.

Iuramenta  
qua ratione  
inter se con-  
currere pos-  
sunt.

§. II. Placet vero hoc nunc ad iuramenta applicare, quod itidem hæc duplici ratione concurrere possint. Quædam enim compatibilia sunt, & circa vnum idemque factum concurrunt, simulque subsistunt, quorum potissimum iuramenta dandorum & respondendorum, quatenus de credulitate, per verba, *glaube wahr / glaube nicht wahr* / vel alterum de veritate, alterum de cre-



IVRAMENTORVM IVDICIALIVM. 5 275

credulitate concepta sunt: plerumque tamen accidit, vt quamuis non ita contraria sint, vt non possint esse simul vera, tamen in effectu concursu suo alterum ab altero vincatur, vti in postea dicendis apparebit. Quaedam vero iuramenta sibi directo contradicunt, ita, vt cum veritate vnus non possit stare veritas alterius, & tunc eiusmodi concursus iuramentorum sese ficit, quem potissimum quærimus, & de quo potissimum hac dissertatione agendi animus est, cum in tali concursu non raro difficultates deprehendantur, quodnam iuramentum præferendum sit.

§. III. Cum vero hic iuramentorum concursus, Methodus dī-  
cendorum. tum in iudicio, tum extra iudicium possit occurrere, de illo primum agendum est, & quidem, vt ordine procedamus, iuramentorum concursus deprehendi potest vel in *una persona*, vel in *diuersis*, de vna re inter se litigantibus. Hoc casu iuramentum aut est *præstium* aut *præstandum*; nam etiam circa præstationem concursus contingere potest, vter ex litigatoribus ad iuramentum admitti debeat, ad quæ membra totum hoc caput referemus.

§. IV. Varius autem est iuramentorum vsus in iudiciis. Sequamur ordinem processus, vbi in limine iudiciorum deprehendimus *iuramentum calumnie*, quod ab vtroque litigantium super tota causa præstatur, potissimumque a Iustiniano introductum est ad coercendam calumniam & temeritatem litigantium §. 1. *I. de pena temere litigantium* l. 2. §. 8. *C. de iuram. propter calumniam*. Habet hoc iuramentum sua commoda, habet etiam incommoda, propter quæ etiam a Saxonibus plane improbarum est. Inter hæc præcipuum est metus periurij,



176.

6

CAP. I. DE CONCURSV

quoniam hoc iuramentum a litigatoribus adeo flocci penditur, vt non existiment, huius violationem ad periurium referri posse. Equidem in prima instantia ordinarie hoc iuramentum ab vtroque litigantium est præstandum, sed ita sæpissime contingere potest, vt concursus fiat iuramentorum sibi inuicem contradicentium, scilicet quando disceptatur de facto quodam, quod litigantes inter se gesserunt, quodque alter negat, alter affirmat. Hoc casu tamen vterque iurat, se credere, se bonam causam habere, nec calumniandi animo ad iudicium venire, & tamen necessario alter calumniari, & litem improbam instituere debet. Neque huiusmodi iuramentorum concursus præcaueri potest, cum iudex in litis ingressu discernere non possit, vter ex litigantibus iustioribus instructus sit fundamentis, atque inde quemlibet proprio suo periculo ad iuramentum admittere debet.

Concursus  
iuramenti  
malitiæ & iu-  
dicialis.

§. V. Similis est ratio iuramenti malitiæ seu calumniæ specialis, & iuramenti principalis, cum constet, deferentem iuramentum iudiciale ante omnia de calumnia iurare debere §. vlt. I. de fideicommiss. hereditatibus l. 34. §. 4. ff. de iureiurando. Quod si nunc eiusmodi casum fingamus, vbi iuramentum iudiciale delatum est super facto litigantium proprio, concurrunt rursus duo iuramenta sibi e diametro repugnantia: aut enim qui defert, calumniose defert, si alter salua conscientia iurare potest; aut si hic non calumniose defert, alter salua conscientia iurare nequit. Si ergo vterque iurat, alteruter litigantium necessario periurium committit, interim in foro externo pro eo omnino pronunciandum est, qui principaliter de ipsa causa iuravit, cum alter tantum  
pra-



*preparatorie & incidenter* iurasse videatur, & præterea etiam deferentis intentio huc redeat, vt alterius iuramento credatur, & exinde decisio causæ sumatur. Quod adeo verum est, vt nequidem de periurio excipi possit, cum inter se transegisse ita videantur *l. 31. ff. de iuram.*

§. VI. Cum itaq; in concursu prædicto iuramentorum nefanda periuria emergere soleant, videamus, annon iudex illum præcauere, & ita simul periuriis ansam adimere possit. Sane in iuramento generali calumniæ præcauere periuria nequit, cum vtrumque sit æqualis roboris & virtutis in vtroque litigantium, vt ita vel vtrique remittendum, vel ab vtroque præstandum sit, si communi sententiæ Doctorum inhærere velimus. Sed iam ostendit Excell. Dn. Præses in *tractatu de iuram. melet. l. c. 3.* etiam hoc iuramentum remitti posse, atque adeo omnino penes eum erit, in eiusmodi concursu, vbi alter necessario perjurium committere debet, præcauere periuria, & vel non admittere hoc iuramentum, vel saltim ab eo exigere, qui magis suspectus est, multum enim arbitrii circa hoc iuramentum iudici permissum est, cum etiam ex officio exigere possit, & ad iudiciorum integritatem spectet. Et inde quoque Excell. Dn. Præses *cit. l. c. 4.* optime iudicauit remittendum esse hoc iuramentum, si in veritatis iuramentum degeneret, quod quidem in generali ab utraque parte ita se habet, in speciali autem tantum in eo, qui defert.

§. VII. Ast vero hodie plerumque furdus narratur fabula, cum plerique iudicum in in ea sint opinione, quod absque nullitate iuramentum hoc remittere non possint,

Præcautio-  
nes contra-  
hujusmodi  
concursum.

Praxis erro-  
nea contra-  
ria.



An relaxatio  
ni hoc locus.

fint, atque inde communiter vterque admittitur. Quid ergo consilii pro parte læsa, præsertim, si iuramentum iudiciale præstitum fuerit? equidem ante iam dictum est, quæstionem periurii non amplius admitti, vbi semel iudiciale iuramentum præstitum est, quoniam semel defendendo iuramentum in hanc conditionem consensit. Sed de eo grauius disceptant, annon obenormem læsionem relaxationi locus sit, vt iudex possit absolutionem concedere. Ponamus casum: Seius amisso chirographo conuenit Titium debitorem, de debito mille thalerorum, eique defert iuramentum mox hic promptissime iuramentum præstat, quo præstito & reo ita absoluto, actor chirographum reperit, læsionem enormissimam simulque perjurium demonstrare potest, an audiendus, si absolutionem vrgeat? equidem id concedit Brunnem. *ad cit. l. 31. in f.* sed tamen dubia est hæc sententia exinde, quod relaxatio tantum locum habeat in iuramento promissorio, quia ita per relaxationem vinculum ex promissione tollitur, at hic qui derulit iuramentum, nihil promissit, nec ipsum iuramentum malitiæ hic relaxatur, quod itidem veritatis hoc casu fuit, sed si aliquod remedium indulgendum erit, quod absolutoria sententiæ virtutem eneruare debet, aliis subsidiis opuserit atque ita rectius restitutionem hic locum habere posse, existimamus, quod remedium contra quæcunq; negotia etiam iurata locum habet Mynf. *l. 5. obs. 59.* Mauritio *de restit. in integr. c. 123. n. 1.* Gail. *2. obs. 147. n. 10.* Fachin. *lib. 8. controu. c. 79. conf. Frantzk. lib. 2. res. 4. n. 13. seq.*

De concu-  
su iuramen-  
torum dan-  
dorum re-  
spondendo.  
rum.

§. VIII. Similis concursus iuramentorum est in iuramentis dandorum & respondendorum, vbi secundum praxin inueteratam duplex concursus & sic duplex periurium.



279

iurium quandoque contingere potest. Quid enim, si antea iuramentum calumniæ ab utroque præstitum sit, in casu, quem antea supposuimus, & deinde nihilominus positiones sub iuramentis prædictis exhibeantur? nam nihilominus hisce iuramentis locum esse debere euincunt Doctores Meū. p. 3. *decis. 175. Carpz. P. 1. C. 12. def. 20. in f.* quam sententiam etiam praxis seruat. Tota huius concursus admisibilis ratio in eo ponitur, quod iuramentum generale calumniæ non rollat speciale, quale in iuramento dandorum & respondendorum adesse, volunt. Sicuti vero de hac sententia communi iam alii dubitarunt, & in primis excell. Dn. Præses in *tr. de iuram. melet. 2. c. 2. §. 19.* plenius illam reiecit, & egregie ostendit, concursum iuramentorum generalis & specialis in iure fundatum non esse, ita si vel maxime vera esset communis sententia, videamus, an ad præsentem casum, ubi positiones alter offert, applicari possit? Sane constat, de iure communi iuramenta dandorum & respondendorum non esse fundata, Scaccias *de iudic. l. 1. c. 60. n. 3.* sed primitus a practicis esse inuenta ad litis contestationem generalem declarandam & deinde iure canonico comprobata *cap. St. atinimus 2. de confess. in 6. cap. vn. X. de litis contestatione Clem. sæpe de Verb. signif.* In eo itaque ius Canonicum a iure communi recedit, quod iuramentum calumniæ speciale in vno eodemque casu dubio ab utroque præstetur, quod in iure communi in nullo casu deprehenditur. Si itaque vel maxime iuramentum malitiæ post generale calumniæ adhuc præstari possit, tamen id maxime exorbitans est, quod ab utroque hac ratione & maxime in facto proprio præstari debeat. Ergo vel prius calumniæ generale esset remiten-

B

ten-



250.  
tendum, vel positiones essent admittendæ absque iuramentis, quia si iudex iuramentum malitiæ, vbi degenerat in veritatis iuramentum, remittere potest, multo magis remittere illud deberet in hoc casu, vbi necessario alteruter litigantium in generali calumniæ iam præstito periurium iam commisit, quia ita nouum periurium, quod iam imminet, euitatur, quod optime declarat Brunnem. *de iur. Ecclæs. lib. 3. c. 4. §. 3.* Et idem scopus in positionibus nudis & responsionibus ad illas factis obtinere possit, qui per iuramenta dandorum & respondendorum intenditur, scilicet, vt actori specificè constet, quidnam reus negauerit, & quid concesserit, id quod ex generali litis contestatione: *nego narrata, prout narrantur* cognosci haud poterit, in quem finem positiones vnice inuentæ fuere.

de concursu  
iuramento  
dando  
& res-  
pondendo  
& ju-  
dicialis.

§. IX. Sed nouus hic sese exserit iuramentorum concursus, maxime reprobandus in casu, vbi positionibus exhibitis inramenta dandorum & respondendorum sunt præstita, & tamen nihilominus postea adhuc iuramentum iudiciale defertur. Concedunt enim Doctores de iure communi adhuc actorem loco ordinariæ probationis posse deferre iuramentum iudiciale ex illa ratione, quod quando reus in responsionibus suis ad positiones factis negauerit simpliciter intentionem actoris, hic illam probare debeat. Cui autem probationis onus incumbit, ille se ab hoc liberare potest per delationem iuramenti *l. 25. §. 3. de condict. indeb. Meu. P. 2. dec. 6.* cum iuramentum sit species alicuius probationis extraordinariæ. Fuluius Pacianus, *de probationibus. l. 1. c. 1. n. 17.* Hahn *ad Wesemb. tit. de prob. n. 2.* atque hac ratione adhuc iuramentum deferri posse statuit Brunnem. *in processu*

ci li-



*civilic. 23. n. 10.* Sed quis non viderit, hoc casu multiplicari iuramenta & quidem re vera incompatibilia, si lis sit de *facto proprio*. Triplex reuera hic adest concursus iuramentorum incompatibilium. *Primus* concursus est in iuramento calumniæ generali, quod vterque præstitit, vbi alter necessario scire potest, se calumniari & scientem imprudentem litem intentare: *alter concursus* est in iuramento dandorum & respondendorum, vbi itidem vterque iurat, & denuo alter periurii reus fit; *tertius* est in delatione iuramenti, ubi itidem vterque iurat, alter enim *calumnia speciale* præstat, alter *iudiciale*, & sic rursus alter periurium committit. Hic triplex concursus tam manifesta improbitate nititur, vt dolendum sit, iudices in praxi officium suum non interponere, & tot periuria præcauere, quo nomine tamen aliquando Deo rationes reddere debent. Concedo, in dubiis casibus iudici nihil posse imputari, si suspectum de periurio admiserit ad iuramentum, sed in hoc casu enormissimo nulla excusatione vti potest, partim quia certum est, necessario alterutrum periurium commissurum esse, partim quia ita triplicantur periuria, & iudex tamen remissione iuramenti calumniæ tam generalis, quam specialis hæc ipsa præcauere potuisset. Hæc nefanda crimina peperit imprudens & incauta Jctorum sententia, iudicem absque nullitate tale iuramentum remittere non posse, quod tamen adfurdissimum est, vt præsens exemplum demonstrat. Præstaret itaque vt lege publica hæc inepta persuasio iudicibus evelleretur.

§. X. Inter iuramenta litis diciforia non adeo concursus in praxi occurrit, quoniam statim post iuramentum præstitum pro iurante pronunciat, sed per accidens li.

Concursus  
iuramenti  
iudicialis &  
extraiudicia-



127

cidens exinalitia hominum contingere potest, vt concursus iuramenti *iudicialis & extraiudicialis* fiat, præsertim extra Saxoniam, vbi sæpe tumultuario processu omnia peraguntur. Nonnunquam hac cautela rei videntur, vt cum viderint, actorem ad iuramentum suppletorium admittendum esse, se ipsos coram Notario & testibus, vel etiam coram alio foro ad certos articulos examinari faciant, eosque iuramento suo firment, vt ita iuramentum suppletorium alteri deferendum antevertant. Sic relatum mihi est ab excellent. D. Præsidente ante biennium acta transmissa fuisse ad facultatem iuridicam, vbi disceptatum fuit super transactione, quam reus negabat. Vt itaque actor illam probaret, duos testes producebat, qui quidem secundum voluntatem actoris deponebant, sed cum non essent omni exceptione maiores, actori iuramentum suppletorium deferebatur. Reus sententiam hanc a viribus, rei iudicatæ interposita supplicatione suspendebat, & interim se coram alio iudicio ad certos articulos iurato examinari curabat, atque hoc modo probationem actoris semiplenam elidere conabatur. Actis itaque ad Illustrem facultatem iuridicam transmissis prior sententia confirmabatur, & quidem recte. Nam (1.) reus hic testis in propria causa esse, intendebat, se ipsum ad iuramentum non tantum offerebat, sed etiam de facto illud præstiterat absque vlla delatione in quo nulliter actum fuerat. Nunquam enim iuramentum præstari potest absque iudicis approbatione per sententiam interlocutoriam facta *l. generaliter 12. C. de rebus cred. l. 14. §. 1. ff. de in lit. iurand.* & sic præstitum absque iudicis auctoritate nullum est *l. 3. pr. ff. de iurei. Beust. ad c. l. 3. ff.*





3. ff. de re iur. n. 8. § 15. imo suspectus est, qui propria auctoritate ad illud se offert. (2.) Imo tanquam testis in propria causa erat examinatus coram iudice incompetente, cuiusmodi examen in extraneis testibus nullum est Gail. 1. obseru. 93. n. 1. Seraphinus de Seraphin de priuileg. iuram. priuileg. 30. n. 33. atque adeo ob euidentes nullitates actor ad suppletorium admittendus fuit, vtut necessario per iurium ab alterutro committi debuerit.

§. XI. Progredior ad testes, qui idem iuramento adstringuntur, & ita si ab vtraque parte testes producuntur, facillime contingere potest, vt concursus iuramentorum sibi directo contrariantium deprehendatur. Ponamus contendere inter partes de finibus, & quia iudicium hoc mixtum est, vtrique probatio recte iniungitur, testes hinc inde producti aiunt, negant; & iuramento suam depositionem confirmant; vbi quidem certum est, si ab vno testes sibi contradicentes producuntur, contra illum pronuntiandum esse. Sed si producti ab vtroque litigantium & rei testes aperte actoris testibus contradicant, adest manifestus iuramentum concursus, vnde quid hac in re statuendum sit, discutiendum erit.

§. XII. Volunt nonnulli, rationem esse habendam numeri testium, vt plures numero vincant pauciores cap. 32. X. de testibus cap. 9. X. de probat. cap. 57. de elect. Verum hoc argumentum satis lubricum esse, apparet ex l. 21. §. 3. ff. de Testibus vbi dicitur, ad multitudinem testium non esse in tali concursu respiciendum. Multitudo quidem aliquid adminiculi afferre potest, si præterea alia adsint momenta, sed per se

Concursus  
iuramento-  
rum in testi-  
bus.

Quid iuris in  
concurso te-  
stium.



154.

multitudini pondus peculiare in tali concursu esse tri-  
buendum, nego.

Refutantur  
sententia  
Dd. commu-  
nes-

§. XIII. Potissimum itaque solent confugere ad  
dignitatem testium, ita, vt depositio testium dignorum  
præferenda sit; non nego, ad testium qualitatem esse  
respicendum, quod etiam Pontifex *in alleg. c. 32. X. de  
testibus* affirmat, & Ictus *in l. 31. ff. de testibus* huc col-  
limat, sed in quo illæ qualitates sint sitæ, non adeo li-  
quidum est; animaduerto enim Doctores coaceruare  
testium qualitates, ex quibus iudicium ferendum esse,  
volunt, quinam digniores sint habendi, quæ tamen  
fallunt. Hoc certum est, credi testibus non propter  
iuramentum, sed iuramento eorum fides habetur pro-  
pter fidem, quam præferunt. Pertinet huc Chry-  
sostomi dictærium: *hominem fide dignum facit non iura-  
mentum, sed vita testimonium & conuersionis integritas.*  
Quare ea tantum, quæ hominibus fidem conciliant, in  
testis persona sunt attendenda.

An ad nobi-  
litatem re-  
stium respi-  
ciendum,

§. XIV. Huc autem non pertinet (1.) nobilitas  
aut dignitas alia, vel doctoralis gradus, vt tamen Fa-  
rinacius *lib. 3. tit. 7. quest. 60. n. 117. & sequ.* alique a-  
perte contendunt. Noui quidem, Nobilibus multum  
fidei in iure tribui, adeo, vt eorum assertio bey adste-  
cher Ehren und Treue iuramenti loco habeatur, maxime,  
si in summo Nobilitatis gradu sint constituti, vt Prin-  
cipes, Comites Gail. *lib. 2. obseru. 89. n. 6.* Mynsing. *r.  
obs. 17.* Coler *de processu executiuo. lib. 1. cap. 10. n.* Sed si  
rursus quæro, quare Nobilibus maior habeatur fides, for-  
san non nemo respondebit, quia qui maioribus dignitari-  
bus præualent, maioribus virtutibus decorati præsu-  
muntur, & inde maiorem fidem sibi conciliant. Sic itaque



taque Nobilitas non per se, sed morator vita, quæ Nobilitati coherere videtur, fidem facit, & cum hæc quoque in ignobilibus adesse possit, & contra vt plurimum accidat, vt deficiat in Nobilibus, reuera ratio decidendi in hoc iuramentorum concursu exinde defumi nequit.

§. XIV. Sed nec alii honores mutant mores, nec gradus Doctoralis vitam emendat, aut mores corrigit, & quamuis olim hic non nisi eruditis & bene moratis fuerit concessus, hodie tamen inuersa est facies teste quotidiana experientia. Multo minus diuitiæ iuramento pondus addere possunt, vt ditioribus magis credendum sit, quam egenis, prout Farinacius *o. l. n. ii.* arbitratur, quia cum constet, diuitias bonos corrumpere mores, qui tamen fidem iurantibus conciliant, potius hanc conclusionem inuerterem, sed decipiuntur hic plerique externarum facie, dum animaduertunt, ditiores omnibus fere præferri, & ab omnibus propter aureos nummos adorari, hinc est, quod nemo de eorum fide dubitet. Sed in iure non iudicandum ab externo schemate, sed secundum virtutem rei veram & propriam. Sed nec sexus ratio hic habenda erit, prout *Myns. cent. 4. obs. 38.* existimat, & contendit, masculis magis esse credendum, quam foeminis. Alias quidem male audiunt foeminae, quod sint varium & mutabile semper, sed eiusmodi regulæ masculos auctores habent, qui sexum sequiorem odio prosequerantur, quorum Princeps erat Clerus. Et si vel maxime comparisonem instituere vellemus inter masculos & foeminas, nulla tamen idonea diuersitatis apparet ratio, cur masculis magis sit habenda fides, quam foeminis, cum æque causam scientiæ possint reddere, quam viri, eademque ac

Variae hominum qualitates in faciendi fide non attendantur.

multum  
inter se  
habent  
quod  
in  
iudicio  
non  
attenditur



16

ac pari sint præditæ integritate. Mores optimi vnice fidem faciunt testibus, quam ex vita integra rectius colligendam censemus. Non loquor nunc quidem de testibus, quorum fides legibus est reprobata, nam tunc facile iudicari potest, quibusnam in tali concursu fides haberi debeat, sed vnice hic quæstio de iis est, quibus nihil obiici potest. Interim tamen videmus plerumque prædictarum qualitatium rationem haberi, imo etiam aliarum, quæ tamen fundamentum æque ineptum habent, vti apparet ex tot interrogatoriis generalibus ineptis, quæ ad fidem testium imminuendam præmitti solent, prout fusius de monstrat excellent. Dn. Præses *dissert. de interrog. inept.*

Consilium  
suppeditatur  
iudici quid  
in dubiis  
depositioni-  
bus facien-  
dum.

§. XV. Quod si testes æque morati appareant, maturo iudicio iudex examinabit, quinam testes vero similia deponant, iuxta assertum Pauli in *l. 114. de R. J. alienis: in obscuris inspicere solet, quod est vero similius, quod etiam confirmatur ex l. 3. in f. ff. de testibus c. 32. X. de testibus c. 9. X. de probat.* Hoc vero iudex tunc demum obtinebit, si asserta & dicta testium, in primis vero rationem scientiæ excutiat, & ita collectis omnium testium depositionibus, examen instituat, quorumnam effatis maior fides haberi & tribui debeat. Sin hoc adeo liquidum sit, merito contra eum pronuntiandum, qui probare debuit, siue sit actor, sic etiam in dubio pro reo pronuntiandum *c. 3. X. de prob. l. 38. ff. de Re iudicata. l. 47. de O. & A. siue sit reus, qui forsân exceptionem probare debuit, tunc pro actore pronuntiandum Boërius decis. 252. n. 9. Paul. de Castro ad l. 14. C. de fide instrum. Trentacinq lib. 2. variar. resol. 5. n. 8. & 10.* Hoc vnice tamen adhuc obseruandum, aliquando in dubio simpliciter pro causa, cui

le



leges certum fauorem indulerunt, pronuntiandum absque hisce respectibus, de quibus ultimo dictum est *l. 38. ff. de re iud. l. 24. ff. de manum. l. 1. pr. ff. solut. matrim. c. 3. X. de probat.* Hinc in dubio pro dotibus pro libertatibus pronuntiandum est, ob concessum iis in legibus fauorem.

§. 16. Nonnunquam etiam concursus iuramentorum præstandorumprehenditur, si forsitan vterque semiplene probauerit, ac sit dubium, cui potius supplementarium deferendum, cum vterque litigantium se ad illud præstandum offerat, quod in iuramentis legalibus admittitur *Beust. ad l. 3. ff. de iurei. n. 8. & 15.* Hic itidem Doctores ad personarum conditionem iuxta persuasionem antea reiectam respiciendum esse, volunt, prout *Carpz. P. I. const. 23. def. 7. n. 2.* fateretur. Sic vult, masculinum potius ad iuramentum esse admittendum, quam foeminas, quod foeminae sint mutabiles. Idem *c. l. n. 7.* vbi *Goswin* ab *Esbach* in notis in super addit, eas esse tenaces & pecuniarum cupidas, & ita ad iuramentum non facile admittendas. *Berlich. P. 6. Concl. 53. n. 21.* Vterius pergit, magis illis deferendum esse, qui maioribus prælucent dignitatibus, quam vilioribus. Idem *n. 6.* item magis diuiti, quam pauperi &c. sed hic recurrunt denuo illa dubia, quæ iam in §. antec. mota sunt, vt superuacaneum arbitrer partem æquales sint probationes, consultius esse existimamus, reo potius, quam actori deferre iuramentum ex rationibus antea suppositis, quod nec *Carpz. c. l. def. 6. n. 5.* diffiteretur & plenius *Berlich. P. 1. concl. 53. n. 18. & sequ.* enucleat, quod tamen tantum ad eum casum pertinet, si actor principaliter probare debuit.

Concursus  
iuramento-  
rum præ-  
standorum.

C

con-



confiteatur actoris intentionem, sed exceptionem opponat, & de illa tantum disputetur, potius actori deferendum iuramentum erit, quia sicuti reus excipiendo fit actor l. 1. ff. de except. ita actor hoc casu rei vices subire videtur.

De concursu  
iuramenti  
suppletorii  
& purgatorii,

§. XVII. Idem concursus contingere potest, quando actor se admitti, petit, ad iuramentum suppletorium, reus vero ad purgatoriū. Hoc tunc præsertim contingit, si stuprata contendit, stupratorem sponsalia secum iniisse, & ita ad matrimonium consummandum agit. Quod si stuprator stuprum negare nequit, sed promissionem matrimonii neget, satis eo ipso grauatus est ad iuramentum purgatorium Carpz. P. 1. Const. 22. def. 4. Berl. P. ult. Concl. 38. n. 35. Richter P. I. decis. 8. n. 85. & sequ. Ut enim ipse Carpz. in iurispr. consist. lib. 5. def. 47. vela retraxerit, & solam confessionem ad hoc iuramentum non sufficere arbitretur, interim tamen eius sententia potissimum ad forum Saxonicum restringenda, vbi iuramentum tale foret inutile, quoniam ad validitatem sponsaliorum ibidem præcisè testes requiruntur, qui in tali casu necessario desunt. In *ordinat. polit. Magdeb. c. 37. §. 20.* hoc disertis verbis statutum est, quod etiam sana ratione nititur, solet tamen hoc casu omnibus viribus contendere, ut ipsa ad iuramentum suppletorium admittatur, si scilicet grauisima adminicula matrimonii promissi afferre, & ita reum de periurio suspectum reddere possit. Quid itaque, si semiplene promissionem probauerit matrimonii, vel plus, quam semiplene. Finge, puellam esse conditionis æqualis cū stupratore, ac ante honeste vixisse, nec adeo præsumendū esse, quod absque promissione matrimonii reum admisisset, finge adesse literas amatorias,



129

rias, in quibus adminicula quædam pro promissione matrimonii adduci possunt, & quæ sunt alia. Sane iudicis erit, pro varia circumstantiarum ratione hac de re cognoscere, vtrum stupratori purgatorium, an vero actrici suppletorium deferendum sit. Posse etiam in hisce, causis iuramentum suppletorium locum habere, euincit Carpz. *in iurispr. Eccles. lib. 5. def. 46.*

§. XIIIX. Sed pergamus ad alterum membrū, vbi confusus iuramentorū inter se pugnantium in vna persona deprehenditur. Id non nunquam in testibus contra aliquē producendis vsu venire solet, vbi hac peruersa & frustranea cautela non nunquam litigantes vsi sunt, vt si animaduertierint, hos vel illos contra se productum iri testes statim extra iudicium iuramento eos obstrinxerint, quod nec testimonium nec consilium vel auxilium contra actorem vel reum suppeditare vellent, qua cautela eorum testimonium declinare solebant. Sed Pontifex *in cap. intimauit 18. X. de testibus* decernit, testes huiusmodi nihilominus iuramento esse adstringendos. Idem constituit *in cap. 45. X. cod.* vbi in causa alia eadem cautela pessima adhibita erat, & Pontifex in fine ita ait: *Illos autem, quos, sicut dictum est, iurasse constiterit, quod contra Arce-Episcopum nihil dicerent, denuncies iuramento huiusmodi non teneri, quo minus valeant in hac causa perbibere testimonium veritatis.* Cum enim tale iuramentum sit illicitum, imo si aliquid operaretur, esset iniquitatis vinculum, sane satis apparet, iuramentum posterus non esse impediendum. Existimauit tamen Honorius III. *in cap. fin. X. de testibus cog.* testes ab huiusmodi iuramento antea esse absoluendos, quam absolutionem vocant ad cautelam, h. e. declarant, illud non valere, cum illud iu-

Improbatur cautela eorum qui alios iuramento sibi obstringunt, ne contra se testimonium dicant.



1260.

amentum fit nullum. *cap. pen. X. de accusat.* & sic in effectu nulla relaxatione opus, quod agnoscit Felinus *in cit. cap. 45. n. 4.*

CAP. II.  
CONCVRSV IVRAMENTORVM  
EXTRAIVDICIALIVM.

§. I.

Vnde concursus iuramentorum extraiudicialium ortus.

**P**ostquam ex principiis iuris Canonici iuramenta ad maiorem firmitatem & obligationem negotiis conciliandam adhiberi ceperunt, communiter pro cautela vulgata iuramenta negotiis quibuscunque extraiudicialibus contra præceptum Saluatoris applicata sunt. Sed ita mirum in modum multiplicata, vt concursus varius iuramentorum inde ortus fit. Vnde nunc secundum seriem causarum tam publicarum, quam priuatarum, quid in huiusmodi concursu iuris fit, videndum est.

Major iniquitas est in concursu iuramentorum extraiudic.

§. II. Constat homines in vita communi plerumque negotiis caute celebrandis iuramentum adicere, quod sicuti per se vt plurimum friuolum & præcepto saluatoris nostri contrarium est, prout euicit *Dn. Preses tr. de iuram. melet. 1. c. 2.* ita eo maior exinde iniquitatis seges plerumque nascitur, si concursus iuramentorum incompatibilium deprehendatur. In iure priuato occurrit quoad *statum personarum* materia de *sponsalibus & matrimoniis*, vbi illis non raro iuramentum adiici solet, tunc præfertim, si metuunt, ne forsân ob aliquem defectum altera pars recedere possit, & quidem vel sibi inuicem iuramentum præstant & hic concursus compatibilis est, & talia sponsalia mutuo dissensu dissolui queunt *c. 2. X. de*

Concursus iuramentorum in sponsalibus.

*Spons-*



1267

*Sponsal. Basil. Ponce de Sacram. matrim. lib. 13. c. 9.* cum ita sibi inuicem partēs iuramentum remittant, quod illis haud interdictum est; vel iuramentum de matrimonio ineundo diuersis personis præstatur, quo ipso concursus sponsaliorum iuratorum inde oritur, atque hic casus in primis huius loci est.

§. III. In hoc concursu sponsaliorum iuratorum varii casus sunt separandi: si vtraque sponsalia iurata sint æque publica, facile apparet, priora esse præferenda, quæ etiam præterri deberent, si ne quidem priora publica essent iurata *c. 31. X. de Sponsal. c. ult. X. de Spons. dnor.* Licet enim de posteriore assertionem quidam dubitent exinde, quod omne iuramentum, quod salua salute aeterna seruari potest, seruandum sit, & quod duo vincula fortius ligent, tamen simul constat, iuramentum non debere esse vinculum iniquitatis, quod sine dubio hoc in casu contingeret, si ius priori sponsæ quæsitum per iuramentum posteriori datum interuertere vellet *cap. 28. X. de iureiur.* Sed hoc dubium eo minus hic moueri potest, vbi priora sponsalia æque iurata sunt, & quod pro se posterior allegat, prior quoque adducere possit.

§. IV. Sed hæc quidem recte sese habent, si sponsus priorem malit præferre posteriori, vel ad minimum posteriori non pertinaciter adhæreat. Maior difficultas oritur in casu, si nullo modo adduci possit, vt priorem in matrimonium accipiat, sed pertinacissime posteriori cohæreat, an etiam tunc ob præstitum priori iuramentum absolute ad consummationem matrimonii compellendus sit. Equidem in genere affirmat *Carpz. lib. 2. iurisprud. consist. def. 135.* sponsum refractarium semper absolute ad matrimonium consummandum cogi posse, quæ

Quid iuris  
in concursu  
sponsaliorum  
iuratorum  
publicorum.

Quid si spon-  
sus nolit  
sponsam pri-  
orem duce-  
re,



1762

22

## CAP. II. DE CONCURSV

sententia tamen admodum dura est, & merito a sanioribus Jctis reprobatur, prout declarat Dn. Stryk. *tr. de dispens. sponsal. sect. 2. §. 7.* Posita itaque sententia, utpote veriori, absolute neminem cogi posse ad sponsalia consummanda, videndum, an iuramentum priori sponsæ præstitum aliud hic suadeat. Video hic vrgentem difficultatem adesse, propter diuersos iuris canonici textus Nam *in cap. 10. X. de Spons.* Pontifex coactioni locum facit allèrens, *quia igitur prædicto G. periculosum est, contra suum iuramentum venire, fraternitati tue mandamus, quatenus, si hoc tibi constiterit, eum moneas, & si non acquieuerit monitis, ecclesiastica censura compellas, ut ipsum (nisi rationabilis causa obstituerit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertrahet.* Atque hæc est decisio Alexandri III. Sed audiamus Lucium III.; qui *in c. 17. X. eod.* itidem agit, de casu, quo mulier iurisiurandi religione neglecta nubere sponso renuit, cui senupturam iuramento firmauit. Hunc casum ita decidit Pontifex: *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Existimat quidem Gonzalezius, hos duos textus ita posse conciliari, vt quidem in genere statuamus, cogendum vtique sponsum esse, ad sponsalia iurata consummanda secundum decisionem *c. 10. cit.* non vero hoc fieri debere, si rationalis causa adsit in contrarium, de quo casu intelligitur *cap. 17. cit.* ita, vt hic textus contineat exceptionem, prior autem regulam.

Gonzalezius  
refutatur.

§. V. Verum ratio decidendi in *cap. 17. cit.* adducta ita comparata est, vt ad quemuis casum, ubi aliquis refractarius est, applicari possit, nam si vel maxime nulla rationalis causa a refractario allegari possit,

ta-



tamen si cogitur absolute ad matrimonium ineundum, etiam hic applicari prædicta ratio potest, quod tales coactiones difficiles soleant sortiri effectus, & ita ad maius malum euitandum, quod ex discordanti matrimonio meruendum est, a coactione desistendum, vt tamen interim debitis poenis afficiendus sit. Ego sane piaculum esse non existimo discordantem Pontificum sententiam hic agnoscere, quales plurimæ in iure canonico occurrunt, & tutius esse, credo, veritatem fateri, quam sophistica interpretatione mentem canonicum interuere. Si autem quæris, quænam decisio præferenda sit, arbitror Lucii III. præferendam esse, cum etiam iuramentum ex verioribus principiis non possit maiorem tribuere vim actui, ac quidem huic inest. Si itaque in genere refractarius cogi nequit, nec etiam absolute cogi poterit, si vel maxime interposito iuramento sponsalia contracterit.

§. VI. Sed plerumque contingit, vt sponsalia clandestina & publica concurrant, & vtraque itidem iuramento firmata sint, vbi quidem certum est regulariter sponsalia publica indistincte præferenda esse siue priora fuerint, siue posteriora *c. 2. X. de cland. despons. Beust. de spons. cap. 17. Dn. Stryk. de diffens. sponsal. sect. 4. cap. 3. §. 2. Carpz. lib. 2. iurispr. eccles. def. 64. n. 14.* quod in primis tunc dicendum erit, si sponsalia clandestina ideo fuerint, quod consensus parentum desit, cum iuramentum non possit purgare vitium clandestinitatis, licet vel maxime priora fuerint, & itidem hic iuramentum accessit rei illicitæ, quam conualidare non potuit. Si enim nequidem ex iudicio Dei votum liberorum inuitis parentibus contractum valet, multo minus tale iuramentum, quod de

De concursu  
sponsaliorum  
iuratorum  
publicorum  
& clandestinorum.



267

dere in potestate liberorum non existente præstitum est, effectum habebit.

Quid si mater iuret se nunquam consensuram in matrimonium filie.

§. VII. Occasione dissensus paterni vel materni, de quo in §. *anteced.* actum est, non prætermittenda est quaestio de concursu iuramentorum diuersi generis, quando sc. filia iurata sponsalia clandestina contraxit, sed mater itidem iurauit, se nunquam in tale matrimonium consentire velle, an in hoc concursu matris iuramentum præualeat, an vero per consistorium mater adigi possit, vt aut iustas dissentendi causas alleget, aut consensum interponat? E quidem alias absolute dissentire non possunt parentes, alioquin Magistratus officium est, defectum consensus supplere *Carpz. lib. 2. iurispr. Eccl. def. 52. & sequ. Sruiu. ex 29. tb. 24.* sed hoc demum ita intelligendum est, si parentes nullam iustam dissentendi causam allegare possint, alioquin enim consistorium illis iniungere non potest, vt consensum interponant. Imo inter iustas dissentendi causas hoc quoque retulerim, si liberi, spreto parentum consensu, sponsalia clandestina iurata celebrauerint. *Carpz. lib. 2. iurispr. eccles. def. 30. n. 5.* quo casu Magistratus ecclesiasticus inique ageret, si parentes ad consensum interponendum cogere vellet, cui potius incumbit, eo allaborare, vt parentibus honor debitus saluus & illibatus conseruetur. Atque proinde in hoc concursu sponsalia clandestina iurata nullas habebunt vires, quod præiudicio eleganti illustrat Ill. Dn. Stryk. *de Diff. Sponsal. Sect. I. §. 38.*

Concursus sponsaliorum de præfenti & futuro iuratorum.

§. VIII. Notum est, quod Canonistæ sponsalia distinguant in illa, quæ sunt de *presenti & de futuro*, quam distinctionem etiam nostrates recipiunt, vtut diuersas definitiones, a canonum mente plane alienas, substituant. Quodsi



Quod si nunc concursus sponsaliorum de *præsenti* & de *futuro* eueniat, & iuramento vtraque firmata, Pontifex indistincte sponsalia de *præsenti* præferenda esse, censet *in c. sicut 22. & c. si inter. 31. X. de sponsal. licet a)* priora sint de futuro *(β)* iuramento interposito contracta. Rationem decidendi exinde desumit, quod posteriora sc. de *præsenti* sint ipsum matrimonium ob declaratum iam consensum matrimonialem, quo ipso cum iam quodammodo sacramentum adsit, separatio omnis impediatur. Sed sicuti in sensu iuris canonici apud nos non sunt eiusmodi sponsalia de *præsenti*, quæ matrimonium ipsum constituent, & indissolubilitatem in se contineant, uti Ill. Dn. Stryk. *tr. de dissens. sponsal. sect. 1. §. 24. seqv.* docet, ita ratio decidendi adducta decisionem in nostris formare nequit consistoriis. Scilicet sponsalia de *præsenti* ipsa nobis proprie dicta sponsalia sunt, quando pure consentiunt contrahentes in matrimonium futurum, cuius consummatio adhuc differtur, de *futuro* autem sunt vel *pactum de futuris sponsalibus*, vel *conditionata sponsalia*. Hisce positis definitionibus si secundum Carpzouii sententiam esset pronuntiandum, de futuro essent postponenda, quia *libr. 2. def. 18. n. 3.* expresse asserit, non adeo in foris nostris horum sponsaliorum rationem haberi. Sed recte animaduertit Dn. Stryk. *in tr. de diss. spons. sect. 1. §. 33. sequ.* nec in sponsalibus de futuro deesse vinculum obligationis, cum *æque* sponsa prior possit vrgere executionem pacti iurati, ac quidem posterior vrget executionem sponsaliorum iuratorum, & cum vtroque res adhuc in terminis nudæ promissionis subsistat, merito prior iurata promissio præferenda foret. Idem iudicium formandum de *sponsalibus iuratis conditionatis* antecedentibus,

D

cum



1266.

26

CAP. II. DE CONCURSV

cum etiam ex promissione conditionata obligatio quædam nascatur, ad expectandum conditionis euentum.

De concursu  
iuramento-  
rum inualido-  
rum.

§. IX. Sed in casibus quidem adductis iuramentum potentius, quod ex principali obligatione metiendum est, primatum obtinuit, potest tamen etiam contingere, vt in concursu iuramentorum quoad sponsalia, neutrum subsistat, vbi scilicet in vtroque iuramento vinculum deficit. Solebant antiquius parentes liberorum impuberum inter se interposito iuramento conuenire de liberis suis in posterum matrimonio coniungendis quali exemplum est *in c. ex literis 10. X. de sponsalibus*, quod plenius enucleat *Gonzalez ad c. 1. X. despons. impub.* Sed si filius alterutrius pubes factus postea infcio patre suo cum alia sponsalia iurata ineat, nec hæc subsistunt, vtpote clandestina nec parentum consensus aliquid operabitur, cū impuberum desponsationes semper sub illa clausula fiant: *modo, postea puberes facti consenserint. c. 7. X. despons. impub.* quod si tamen pater sponsalibus hisce filii consentiat, periurium quidem committit, sed tamen sponsalia hæc noua subsistunt, cum iuramentum parentum liberos impuberes adstringere non potuerit, vt inuiti postea puberes facti matrimonium ineant.

De concursu  
iuramento-  
rum subiecti-  
onis,

§. X. A statu familiae progredior ad *statum ciuitatis*, quia ibi etiam varium iuramentorum concursum deprehendo. Ciues enim & subditi confringuntur *homagio* seu iuramento subiectionis, & præterea etiam alios respectus subire possunt, propter quos de nouo iuramentum præstant. Quatenus iurisdictiones in statu ciuili dantur subalternæ, ita quoque subditi possunt variis confringi iuramentis vtut compatibilibus. Sic enim Domino



mino territorii singuli ordinarie homagium præstant, quod iurisdictioni territorialis secum ducit. Knich. *de iure territ. c. 3. §. 245.* Knipschild. *de civit. imperii lib. 2. c. 9. n. 16.* Sed tamen qui præterea ciues alicuius ciuitatis esse desiderant, magistratui quoque oppidano iurare debent, & consuetum ciuium iuramentum præstare, quod tamen priori est subordinatum, adeoque homagio nullo modo derogat, sicuti ipse Magistratus ab ipso Principe dependet. Vnde contra iuramentum ciuitati præstitum non agit, qui Principis mandatis paret, neglectis senatus oppidani mandatis. conf. Grot. *de I. B. & P. lib. 1. c. 4. §. 6. n. 1.* Huber. *de iure ciuit. lib. 1. sect. 3. c. 6. n. 7.* Ziegler *de iure Maieft. lib. 1. c. 37. §. 3.* & sic ipse iudex inferior mandatis superioris obedientiam præstare debet, de qua materia egit latius Ill. Dn. Stryk *de obsequ. iud. infer. c. 2. & 3.*

§. XI. Nonnunquam contingit, vt plures de dominio territorii inter se concertent, & ita homagium singuli exigant. Et quidem si adhuc *in statu turbido* res sit, plerumque contingit, vt miseri subditi, modo huic, modo illi per vim iuramentum subiectionis præstare cogantur, quatenus sc. mox hic, mox ille in territorio præualet. Multi sane effectus redundant ex homagio, veluti in primis subiectio debita, & superioritatis agnitio Knipschild *de ciuitat. imperii. lib. 2. c. 9. n. 17.* & consequenter hoc concursu homagiorum incompatibilium varia incommoda obueniunt. Ipsi subditi de iure concertantium iudicare non possunt, sicuti quoque quando vni præstiterunt homagium, alteri superuenienti illud recusare non possunt, si vim faciat, & ita quidem in possessione territorii sit. Obstat quidem, quod obligentur per homagium priori præstitum, ne posteriori idem præstent, quod quidem

Quid si plures de territorio litigent & homagium a subditis postulent.



1268.

certum est, quatenus sponte se alteri submittere non possunt; sed hic loquimur *de statu violentie*, ubi vi bellica continguntur ad huiusmodi homagium præstandum contra priorem dominum. Neque hoc tantum tunc contingit, vbi inter partes litigantes de ipso dominio territorii res agitur, sed etiam si aliis ex causis bellum coortum sit, quoniam statim ac hostis ciuitatem quandã occupauit, subditi illius adstringuntur ad homagium victori contra priorem dominũ præstandum. Et quia bello etiam acquiritur imperium ciuile in victos, vti ostendit Grot. *lib. 3. c. 8.* excusandi merito sunt subditi, qui victori homagium hoc præstant, quod absque totali ciuitatis interitu victori denegare non possunt, quem priorem dominum noluisse, probabile est, cum potius eius præsumpta voluntas videatur, conseruare hoc modo ciuitatem, quam victoris arbitrio eandem exponere. Atque hæc ipsa quoque applicari possunt ad priorem casum, si ipso domino deiecto, alter territorium vi bellica occupauerit, nam etiam ita resistentia subditorum interitum ciuitati adferret, & quod alias in genere in bello iuris est, hic quoque iuris esse debet.

Subditi in homagio præstandi ad possessionem respicere debent,

§. XII. Ceterum si iure & non manu res agitur, inter controuertentes de dominio territorii, certum est, subditos præsentis possessori homagium præstare, & alteri idem prætendenti recusare debere Maul. *de homag. c. 1. n. 15.* Knipschild *de ciuit. Imperii lib. 2. c. 9. n. 40.* Exemplum elegans deprehenditur in iure canonico de iuramento fidelitatis, quod Archi-Episcopus Pisanus exegerat a iudice Caralitano, contradicente Innocentio III., qui sibi hoc iuramentum præstari debere, asserbat. Series rerum ita se habet: Saraceni Sardiniam occupauerant, sed Pisani & Genuenses eos simul eiecerant,





269

IVRAMENTORVM EXTRAIVDICIALIVM. 29

rant, inito inter se pacto, vt regnum Sardinia ad Pisanos spectaret, Genuenses, vero omnia spolia Saracenorum lucrarentur. Quia itaque Pisani tam in spiritualibus quam temporalibus insulam in totum ad se pertinere aiebant, iuramentum fidelitatis Archi-Episcopus Pisanus exegerat a iudice Carolitano primario seu capitaneo illius insulae. Hoc ægere tulit Innocentius III. (quippe qui Sardiniam ad patrimonium B. Petri pertinere, asserbat, & hunc in finem rescribat iudici Caralitano in c. 22. X. de iurei. his verbis: *Sane cum Archi-Episcopus Turritanus a Te nomine nostro iuramentum fidelitatis exegisset, illud exhibere in manus eius distulisti, asserens, quod Pisano Archi-Episcopo saluo apostolicae sedis honore huiusmodi praestiteris iuramentum. Cum igitur nobis & ecclesie Romanae fidelitatem facere tenearis, si praestitum iuramentum ei, quod a te nobis tanquam debitum est praestandum, contrarium repotes, illud illicitum iudicabis, & illicito non obstante, quod licite, imo ex debito petitur, exhibebis: vel si praestitum praestando contrarium non existit, illud sine difficultate praestabis.* Erat ergo ibi concursus duorum iuramentorum fidelitatis; vbi simpliciter Innocentius III. rescribit, prius esse illicitum, si praestando contrarium fit, id quod tamen hic non ostendit, sed tamen plenius id demonstrat in literis Archi-Episcopo Pisano rescriptis, relatis in c. 17. X. de praescripti. vbi prorsus idem argumentum tractat, & ostendit, sibi tale iuramentum esse debitum, simulque prouocat ad suam quasi possessionem his verbis: *cum secundum confessionem tuam non Ecclesia Pisana vel tu fuerit in quasi possessione iuris exigendi huiusmodi iuramentum, & paulo post: per quod constat, ecclesiam Romanam semper quasi in possessione fuisse.* Exinde nunc infert, nec Pisanum posse pro se praescri-

D 3 ptio-





1270.

30 MVIIA CAP. II. DE CONCVRSV

ptionem allegare, propterea, quod Ecclesia Romana in quasi possessione constituta sit, atque adeo in iudice Caralitano improbandum videbatur, quod Pisano, exigenti hoc iuramentum, illud præstiterat, cum tamen potius possessionem sequi debuisset. Ceterum quod in *ead. cap.* Innocentius III. a Pisano postuler, & Caralitanum iudicem a iuramento absolvat seu ei præstitum remittat, indicium præbet, Innocentii III. possessionem vel quasi non adeo certam fuisse.

Quid, si quis  
subditus sit  
diuersorum  
dominorum  
territorii.

§. XIII. Similiter contingere potest, vt quis domicilium in duobus locis constituerit, si sc. vtrobiq; æqualiter instructus sit, vt ibi habitet *l. 6. §. 2. l. 27. §. 2. ad municip.* & ita simul accidere potest, vt quis homagium etiam duobus dominis diuersi territorii, vel iuramentum ciuicum diuerso magistratui oppidano præster. Et hactenus nulla a deo difficultas hic deprehenditur, quatenus nulla collino inter hæc iuramenta oritur, sed vbi vtrique homagio vel iuramento ciuico satisfacere non potest, sed necessitas postulat, vt ab altero recedere cogatur, quæstio est, quid eiusmodi ciui in tali concursu agendum sit. Ponamus enim inter vtrumque dominum territorii controuersias intercedere, hunc vero ab vtroque eligi, vt iura domini sui deducat, & defendat, non admittit sane ratio iuris, vt tanquam præuaricator vtriq; seruiat, & tamen iuramenti vinculum ipsum adstringit, vt singulorum vtilitatem promoueat, & ita singulorum iura quoque defendat. Idem potest contingere in eo, qui in ministerium a diuersis dominis territorii assumptus est, cum satis constet, esse consiliarios, qui pluribus a consiliis esse soleant, quo ipso itidem a singulis iuramento adstringuntur, Myler ab Ehrenbach in *Hyparchol. c. 6. sect. 2. §. 107.* &  
ta-

Quid si quis  
plurium do-  
minorum  
territorii  
consiliarius  
sit.



tamen non semper singulis, si inter se & contra se agant, inferuire poterunt. Scilicet notum est, quod prius & antiquius iuramentum deroget posteriori c. 26. § 33. X. *de iurei.* adeoque hic quoque respiciendum esse, existimo ad vinculum antiquius, quod sine dubio quoque potentius est, cum talis minister vel subditus quidem fidem promittere potuerit, sed salua obligatione antiquiori domino debita. Quin quod plerumque is, qui a Principe extraneo ad ministerium publicum evocatur illud ipsum non aliter suscipere debeat, quam cum Principis sui consensu.

§. XIV. Ceterum quod dictum est, posse contingere, ut quis duobus locis aequaliter instructus sit, ut ibi habitet, & ita subditus vel civis diuersarum ciuitatum euadat, hoc ita intelligendum est, modo non fiat in fraudem prioris magistratus, cui quis ab initio fidem debuit. Sic enim iuramentum posterius tendit in fraudem vinculi prioris, id quod fecisse videntur Pfalburgeri, de quibus iniicitur mentio in *A. B. c. 16.* qui iuxta exemplar Germanicum describuntur his verbis: dergleichen Bürger und Untertanen sich unterstehen das Joch der ordentlichen gebührlichen Unterthänigkeit von ihnen zu werffen/ dieselbe aus freventlicher Dürftigkeit verschmähen/ in andern Städten Umschweiff suchen/ und darinnen zu Bürgern begehren aufgenommen zu werden/ auch offermahls solches erlangen/ aber nichts destoweniger in ihrer Herren/ die sie mit solcher Untreu verlassen/ Städte/ Märkte oder Dörffer/ darinn sie sich häußlich niedergelassen/ leiblich sitzen und beißen/ und sich nun mit der andern Städte Freyheit behelffen und beschirmen wollen / welche man in Teutschland Pfalbürger heisset/ hac pessima cautela tunc utebantur, ut eo securius possent delinquere, & omnes actiones a se declinare. Si enim eiusmodi Pfalburgerus accusatus & in

De Pfalburgeris.



1272

in ius vocatus esset prouocare solebat ad ciuitatis iura, in qua ciuium numero receptus erat. vid. Speidel. *voc. Pfal. Bürger Limnæus ad A. B. c. 16.*

De concursu iuramentum vasalliticorum.

§. XV. Quod de ministris diuersorum dominorum antea dictum est, idem hodie facilius contingere potest in *Vasallo* a diuersis dominis feuda recognoscante, quod frequentissime accidit. Sane ipsi vasalli nihil aliud, quam officiales & ministri domini feudi fuisse videntur, & ipsum feudum illis propter officium, quod gerebant, concessum est, quasi loco salarii, & inde est obligatio ad fidelitatem, & quod vasalli quoque iuramento se domino obstringere debeant, cum ab antiquissimis temporibus ministri seu officiales iuramento obstricti fuerint Myle- rus ab Ehrenb. *cit. l.* Vasallus itaque, plurium dominorum idem olim erat, quod hodie minister & officialis plurium dominorum. Cum itaque etiam iurare teneantur, *treu/ hold und gewärtig zu seyn des Herren Nutz und Nutzen nach allem Vermögen zu befördern / allen Schaden abzuwenden* &c. vid. Ill. Dn. Stryk. *in exam. iuris feudalis in appendice*, quæstio oritur, quid dicendum in concursu iuramentorum vasalliticorum? quid, si utriusque seruitia feudalia præstare non possit, forsitan quod ipsi domini inter se bello impliciti sint? videlicet ex eodem fundamento supra adducto, quod iuramentum prius deroget posteriori, antiquior dominus præferendus est, cui majus obligatur, cum accipiendo a posteriori feudum, & se eidem obstringendo per iuramentum fidelitatis non potuerit præiudicare domino antiquiori, aut a vinculo illo recedere, quin potius vasallus in fidelitatis promissione antiquiorem dominum censetur excepisse 2. *feud. 28. in f.* quo casu talis vasallus *non ligius* dicitur, cum *ligius* ille dicatur, qui nulli alii





alli obstringitur, & ita sine omni exceptione fidem vasallicam contra omnes promittit. *Itter. de feud. imp. c. 2. §. 2. Ill. Dn. Stryk. in exam. iur. feud. cap. 3. q. 44. Bitsch. ad 2. f. 28. inf. Antonius de Feud. disp. 1. tb. 3. lit. e. vbi adducit formulam in lingua vernacula: daß sich der Lehmann will gebrauchen lassen wieder männiglichem/ niemand ausgeschloffen. Et inde fieri non potest, vt quis duorum dominorum vasallus absolute ligius existat, cum semper antiquior excipiendus sit. Duarrenus de feud. c. 4. num. 4. Surdus libr. 3. conf. 449. n. 50. Sic itaque talis vasallus antiquiorem dominum contra posteriorem iuuare potest & debet, non obstante iuramento fidelitatis posteriori praestito. Anton. de feud. disp. 7. tb. 5. lit. e.*

§. 16. Enimuero noua hic occurrit difficultas, an non, saluo vtroque iuramento, possit vel debeat vtrumque iuuare, antiquiorem quidem in persona, sed posteriorem per substitutum? Admittit hoc Kohl *de seruit. feudat. P. 2. n. 72. sequ.* quod ita priori domino non prauidetur, quem ipse secundum fidem datam iuuat. Equidem id omnino admitto, si prior & posterior dominus arma moueant contra tertium; Tiraquell. *de iure primog. in presf. 196. sequ.*, ast difficilius id admitti potest in casu, si inter se bellum gerant, quia non potest non antiquiorem offendere, si posteriori armis, pecunia, vel etiam submisso alio assistat, cum parum referat, an ipsemet dominum offendant, an vero per alium mandatum ad hoc habentem *arg. l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arma. 2.* vbi etiam *is deiecit dicitur, qui mandauit, vt alteri vis inferatur.* Cum itaque antiquiori promiserit fidelitatem contra omnes, huic vero talis laesio & offensio e diametro repugnet, non potest saluo iuramento priori seu antiquiori praestito po-

An posteriori hoc casu possit seruire per substitutum.



steriorem per substitutum vel pecuniam inuare. Schrader *de feud. P. 6. c. 6. §. 20.* Rosenthal *de feud. cap. 1. concl. 16.* quod si dubitetur, quis sit antiquior dominus, uti facile contingere potest, itidem utriusque seruitia præstare debet alteri quidem in persona, alteri vero per substitutum, de quo ipse vassallus hoc casu arbitrabitur Rosenthal *de feudis cit. l. n. 9. sequ.*

Concursus  
homagii &  
iuramenti  
vassallitici.

§. XVII. Præterea concursus homagii & iuramenti vassallitici contingere potest, si Principi suo, prout ordinarie contingit, homagium præstet, & præterea ab extraneo Principe feudum teneat, ut vi huius ipsi ad fidelitatem obstrictus sit. Hoc casu si inter dominum feudi & territorii contentio sit orta, magis adfringitur homagio, quam iuramento fidelitatis Rosenthal *de feud. c. 5. §. 78. n. 5.* Maul. *de Homagiotit. l. n. 5.* Surdus *de alim. tit. 1. §. 57. n. 7.* cum illud in totum subditum subiciat Principis potestati & imperio, non vero hoc, illud ordinarie quoque ratione temporis sit antiquius, quam hoc. Hinc feudistæ vnanimiter asserunt, Imperatorem, Regem, patriam, magistratum &c. ipso iure exceptos intelligi, adeo, ut sub iuramento contra omnes præstito non comprehendantur. Præualet itaque homagium iuramento fidelitatis. Rosenth. *de feud. lib. I. c. 2. n. 31.* Quinimo, si vel maxime iuramentum vassalliticum tam late conceptum esset, ut etiam Vassallus domino promitteret, se vel se ei seruire etiam contra superiorem, cui ex homagio obligatur, tamen talis promissio esset inutilis & turpis, utpote contra magistratum suum præstita, quin talis subditus crimen læsæ Maiestatis ipso facto incurreret, cum ita animum rebellem & proditorium satis proderet Rosenth. *cit. l. in not. lit. V.* Loquor autem de veris & proprie,



priedictis subditis : nam ad hos, qui tales non sunt, licet videantur, vr sunt *Status Imperii*, hæc non indistincte applicari posse, perspicuum est.

§. XIIII. Sicuti itaque homagium strictissimam obligationem in subdito producit, & in primis id operatur, vt subditi quouis modo vtilitatem & commodum domini promouere teneantur, ita sine dubio tamen hoc intelligendum, quatenus salua iustitia id fieri potest vid. Maul. *de homag. tit. 3. n. 3. sequ.* Vnde an etiam testes contra dominum esse possint, quodammodo dubitant Doctores, & si forsan necessitas postulet, vt testimonium dicant, volunt tamen ante omnia subditis remitti debere homagium quoad hanc causam, sine dubio ex hac opinione, quod existimant, hic eiusmodi concursum iuramentorum euenire, qui non adeo sit compatibilis. Vnde videndum breuiter, an non obstante homagio subditus requisitus nihilominus testimonium contra dominum dicere possit. Hoc certum est, Dominum vinculum hoc remittere posse, cum in causa propria quilibet priuatus etiam ius remittendi habeat *c. 2. X. de renunc. c. 13. X. de censib. Gail. lib. 1. obs. 24. n. 1.* Sed an hoc præcise requiratur, ita vt alias testibus obstare possit homagii vinculum, nunc quæritur? quod omnino negatur, cum homagium non adstringat subditos, vt vbi necessario testimonium dicere debent, veritatem contra dominum non dicant. Et ita hanc iuramenti relaxationem errore potius, quam certo iure inductam esse, recte sentit Reuber *de testib. P. 2. n. 114. sequ.* & sic minus necessariam, prout etiam fatentur Vmmius *in process. disp. 16. n. 12.* Coll. Argent. *lib. 2. tit. 5. sb. 10. n. 16.* Non nego tamen, contrariam sententiam in praxi attendi, quæ for-

An subditus  
absque rela-  
xatione ho-  
magii possint  
contra domi-  
num testari.



1274.

san ideo recepta est, vt ita concursum iuramentorum incompatibilium in vna persona euitent conf. Carpz. P. 2. C. 16. def. 64. Idem quoque asserendum, de casu, si a Principe subditus eligatur, vt iudicem agat in causa Principis, nam nec homagium subditum adstringit, vt a iustitiæ tramite in fauorem Principis deflectat vid. Dn. Præses *vr. de iuram. melet. 6. c. 4. §. 7.*

De concursu iuramentorum conföderatorum.

§. XIX. Occasione horum iuramentorum progredior ad *iuramenta conföderatorum*, cum hi, qui fœdera inter se ineunt, communiter illa iuramento firmare soleant. Quodsi itaque bellum hi inter se gerant, quibus pariter tertius est fœderatus, quæstio exsurgit, vtri potius opem ferre debeat? Equidem Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c. 15. §. 13. n. 1.* ante omnia attendendum esse, ait, quis fœderatorum iustam habeat belli causam, & hunc inter conföderatos præferendum esse, cui assistatur, quæ sententia *in ebest* veritate nisi videtur, sed meo quidem iudicio applicari commode nequit. Neque enim conföderato arbitrium & iudicium competit, quisnam inter litigantes habeat iustam belligerandi causam, quod inter gentes plane deficit, cum quilibet belligerantium se iustas causas belli habere, asserat, de quibus socii sane iudicare non possunt, vti eleganter ostendit Illustr. Cocceius *diff. de amnestia & postliminio in pace*, quin quod hoc casu nihil facilius foret, quam sub prætextu iniustitiæ belli alteri assistere, & ita foedus quodammodo infringere. Sic etiam eiusdem commatis est altera obseruatio, *quam n. 2. c. 1.* adducit his verbis: *Quodsi fœderati inter se committantur causis vtrinque iniustis quod accidere potest, vtraque parte abstinendum erit.* Non nego, hoc accidere quandoque posse, sed nego, socium conföderatum de hoc iudicare efficaciter posse quod iudicium tamen eo ipso



ipso in se suscipit, si sub hac ratione neutri assistere velit. Potius itaque dicendum est, ordinarie preferendum esse eum, quocum antiquius foedus est, uti non diffitetur Grot. c. 1., huic enim ius est quaesitum, quod illi non potuit interuerti per posterius. *Amicitias ita institui par est, ne qua vetustior amicitia aut societas violetur.*

§. XX. Plures adhuc ex haecenus dictis conclusionibus elici possunt, si instituti ratio id quidem nunc permitteret. Sic, ut vnicum tantum adferam exemplum, notum est, hos, qui in academiis ad honores solenniter admoventur, ante omnia iuramento adstringi solere, cuius varia sunt capita. Inter haec quoque iurare solent, v. c. se Principi, sub quo est academia, fideles futuros, & commoda eius promoturos esse. Contingere autem potest, ut postea aliis in locis ad officia publica admoueantur, ubi iidem domino illius territorii iurare debent ratione officii in commodum Principis administrandi. Quid ergo dicendum erit, si intuitu officii, contra Principis illius, sub cuius auspiciis summos in utroque iure obtinuit honores, commoda quaedam agere debeat? Reuera hic collisio iuramentorum occurrit, quorum priori prohibetur, ne contra huius Principis commoda laboret, sed posteriori adstringitur, ut huius Principis, cui a consiliis est, utilitatem promoueat. Verum existimo, ministrum talem hic abstinere debere, cum prius iuramentum sit antiquius, & ita per posterius interuerti & infringi non potuerit. Nisi forsitan a Principe illo, cui antea iam subiectus erat, admotus fuerit ad officium publicum, sic enim iuramentum in susceptis honoribus academicis praestitum intelligi debet sub clausula: *saluo subiectionis vinculo.*

§. XXI. Ceterum quemadmodum sponsalibus saepe iuramenta adiiciuntur, ita idem quoque in aliis negotiis

E 3

De concursu  
iuramenti a-  
cademici, &  
quod susce-  
pto officio  
praestatur.

De concursu  
iuramento-  
rum aliis con-  
tractibus ad-  
& iectorum.



1276.

CAP. II. DE CONCURSU

& contractibus contingere solet. Quodsi in eiusmodi negotiis nullum aliud vitium appareat, ordinarie prius iuramentum effectum habebit. Scilicet, semper respiciendum ad ipsam negotiorum naturam, & ex communibus regulis iuris iudicandum, an prius, an posterius negotium subsistat? reuera enim iuramentum hic non adeo aliquid operatur, cum vtrique negotio adhibeatur, & inde vtrouque par ratio sit. Ergo non tam ex iuramenti ratione, quam aliunde iudicandum, vtrum prius negotium iuratum, an posterius valere debeat. Sic qui duobus rem eandem diuerso tempore vendidit, re adhuc integra, valet prior emptio venditio, quod etiam dicendum, si vtraque emptio iuramento confirmata est: sed si posteriori res tradita est ille potior est, & ita iuramentum quoque posterius hic praeualet, non ex ratione iuramenti, sed quia posterior emptor per traditionem consecutus est ius in re *l. quotiens 15. C. de R. P.* non enim pactis licet iuratis, dominia rerum transferuntur, sed traditionibus *l. traditionibus 20. C. de pact.* nihilominus si adhuc peculiaris ratio pro primo emptore militauerit, prior erit praefereendus, veluti si priori quid donatum vel venditum sit cum *constituto possessorio*, ita vt venditor vel donans dicat, se donatarii nomine in posterum possessurum esse; sed ita rursus prior praefertur propter *constitutum*, non propter iuramentum *Tiraquell. de const. poss. P. I. n. 23. Thesaurus P. 4. qu. 64. n. 3. sequ.* sic itaque non adeo immorandum est in huiusmodi concursu negotiorum iuratorum.

Quid iuris si  
negotium al-  
terutrum  
non valeat,

§. XXII. Quod si alterutrum negotium non valeat? videndum, annon per iuramentum possit conualidari de iure canonico nec ne? Priori casu itaque aliquid iuramentum in tali concursu operatur, vt, si negotium per se inualidum



lidum prius sit, cæteris paribus posteriori per se valido proferatur propter vim iuramenti, quod priori accessit: Sic minor non potest res immobiles nequidem cum decreto Magistratus donare *l. 2. C. si adu. donat. Struu. ex. 31. tb. 86. in f.* iuramento tamen confirmatam donationem valere volunt, de quo plenius disputat Simoncella *de decret. & cet. solemnit.* qua posita sententia, tunc prior iurata præferenda erit posteriori in maiorenitate æque iurato factæ, quia prior per iuramentum conualidatur, nisi forsan priori aliud vitium subsit, propter quod nequidem ex iuramento subsisteret, veluti si diuersis persuasionibus minor ad donandum inductus fuerit. &c.

§. XXIII. Ad alias materias nunc progressus fieri posset, sed quia partim ex hæcenus assertis illarum decisiones fluunt, partim etiam temporis penuria excludor, quo minus plura addere possim, subsistendum hic esse, censui, hoc vnicum in votis habens, vt ita omnia nostra negotia quilibet dirigat, quo omnem concursum iuramentorum euitare queat, quia sic non necesse erit, amplius disquirere *de concursu iuramentorum.*

FINIS.



CO-



1278.

# COROLLARIA.

I.

**R**ecte Euangelici Pontificem Roman. *Santissimum* appellare possunt, etiam si ipso actu impius & Haereticus sit.

II.

Filius praesumitur legitimus, etsi mater eum ex adultero natum profiteatur.

III.

Si constat matrem cum adultero rem habuisse absente patre, filiis non praesumitur legitimus sed ex adultero natus, etsi mater id neget.

IV.

Concubinatus iure Rom. non erat cohabitatio legitima.

V.

Frater in fratris bona non succedit cum parente, à quo testamentum irritum factum est querela in officioso, etiam si iam successio ab intestato locum habere videatur.

VI.

Distinctionis actio. bon. fid. & stricti iuris ad nostra tempora adplicatio merito respuenda est.

VII.

Venditor rem venditam primo, alteri vendens & tradens primo emptori tenetur ad id quod interest.

IX.

Distinctio inter officium nobile & mercenarium in iure non est fundata.

X.

Distinctio inter personas Laicales & Clericales originem papatui debet, etsi frustra & absurde differentiat author Ephe-meridum Flensburgi editarum cuius argumenta inania sunt.

XI.

Distinctio inter dolum incidentem & dantem causam contractui erronea est.

PRAE-





1279  
PRAECLARISSIMO  
DNO. CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

**D**Um ita cum laude, omni-  
umque applausu, finem  
studiis Tuis Academicis  
imponis, & nostras relin-  
quis Musas Doctissime Canditate,  
non possum non publice Tibi hac  
de re gratulari. Nihil enim est, quod  
nobis acceptius esse possit, quam  
bene merentibus proemia confer-  
re, & eorum exempla, aliis imitan-  
da, commendare. Tu vero ex eo-  
rum numero es, qui tempus, studiis  
destinatum, non inutiliter absu-  
munt, sed animum ad ea attendunt,  
F  
quæ



quæ in ipsis rerum obtinent argu-  
mentis. Perge ita, præclarissime  
Canditate, & nunc id toto animo  
age, vt studiis Tuis & Patriæ, &  
bonis omnibus prodesse possis.  
Quod vt Deus faxit, Tibique diui-  
na gratia in omnibus conatibus  
Tuis adsit, sincero animi adfectu  
precor. Vale!



CLARISSIMO  
DN. CANDIDATO

S. P. D.

IUSTVS HENNINGVS BÖHMER, D.



Ingulari sane afficio animi volupta-  
te, dum Te, Clarissime Canditate,  
exantlatis feliciter tot laboribus,  
properare ad publicam Cathedram  
videam, in qua documentum eru-  
ditionis Tuæ edere optimo consilio tecum con-  
sti-



stituisſi. Hæc enim ipſa via , quæ Te nunc ad  
Cathedram ducit , ad promeritos quoque hono-  
res non tantum Academicos Tibi aditum parat,  
ſed etiam Te ad altiora in hac academia præpa-  
ratum & enutritum eſſe oſtendit. Sane ab illo  
ipſo tempore , quo & in meo conuictu fuiſti , &  
mihi iura docenti ſedulam dediſti operam , ſum-  
mam de tuis conatibus egregiis ſpem concepi , in  
qua etiam euentus me non feſellit. Nouit illu-  
ſtris facultas juridica tuos proſectus , quos in ſo-  
lemnibus examinibus ita declaravi , ut Te ad ho-  
nores academicos capeſſendos digniſſimum iudi-  
cauerit. Cum itaque rerum teſtimonia de tua  
eruditione hic adſunt , non opus eſt verbis ulterio-  
ribus , niſi quod patri Tuo optimo de tam di-  
gniſſimo filio , Tibi vero de ſtudiis Tuis egregiis ex  
animo gratuler , ſimulque vota concipiam , vt quæ  
hactenus in Academiis felicibus auſpiciis & incho-  
aſti & ad finem perduxiſti , in DEI gloriam Pa-  
triæ Tuæ incrementum & familiæ ornamen-  
tum impendere & applicare velis. Dab. in  
alma Fridericiana d. xvi.

Jan. MDC CVIII.

Est



Ms. C.

**E**st virtutis opus, virtutem non latitare,  
 Mox etenim radiis noscitur ipsa suis:  
 Proprio id exemplo testaris, Amice colende,  
 Fortiter ex cathedra prælia docta moves,  
*Juramentorum concursum fistis, ubique*  
*Concurrunt laudes, jure mereris eas.*  
 Gratulor hos igitur, quibus hinc discedis honores.  
 Exspectant reducem præmia digna domi.


Hicce Meritissimo Dn. Candidato Amico suo, ex paucis dilecto, benevolam sui, memoriam relinquere, & optima quævis apprecari voluit.

**Joh. Daniel Radefeldt**  
 Hanoviensis.



**I**usta laboriferis tribuuntur præmia Musis  
 Et bene certanti digna corona datur:  
*Iusta laborasti, gratum tibi Iusta saporem*  
*Porrexere, & nunc, lausque decusque parant*  
*Ergo quid tibi plura petis tua perge studere*  
*Iusta, etiam ut maneat nomen, Amice, tuum.*  
*Felix, ô nimium felix! qui talia curas,*  
*Que mundo possunt, quæque placere Deo*  
*Respice nunc votum, quod prospera quæque salutem*  
*Fam tibi promittit, quæ tibi corde precor.*  
 Respice **FLEISCHMANNUM**, penitam, queso, inspicem  
 mentem,  
 Fucus abest omnis: Sum maneoque

*quis,*  
 qui pauca hæc  
 apponere voluit debuit,  
**JOH. PHIL. CHRISTIAN. FLEISCHMANNUS,**  
 Hanov. Wedderav.





Halle, Diss; 1708 SH-2

ULB Halle

3

004 593 553



sb,









DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

De

**CONCVRSV**  
**IVRAMENTORVM,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, AC DUCATUS MAGDEB. GUBER-  
NATORE, &c.

EX DECRETO ILLUSTRIS ICTORYM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE

**DN. IO. SAMVELE STRYKIO, IC.**  
SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENSIS  
CONSILIARIO AVLICO ET PROFESS. PVBL.  
ORD. & h. r. DECANO SPECTATISS.  
PATRONO SVO OMNI OBSERVANTIAE CVLTV  
PROSEQVENDO,

**PRO LICENTIA**

In vtroque IVRE legitime solemniterque obtinenda  
IN AVDITORIO MAJORI,

d. Junii A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis  
Publico Eruditorum judicio submittit

**IOH. CHRISTOPH. MAESIVS,**  
Hanoico-Wetter.

HALA MAGDEB. LITTERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP.